



1. Amyraldi si Mosi: / Diss. de Oeconomia  
trium personarum in operibus divinis.  
Hale 1715.
2. Anton. / Pauli: / Diss. de Veritate  
Christiane Religionis, Hale 1718
3. ———— Diss. de fide, tamquam  
opere Dei Summo, Hale 1728.
4. ———— Observationes theologice  
de conversione Samaritanorum ad  
Christianismum, Hale 1696.
5. Bajeri / Joh. Wilh.: / Diss. de Efficacia  
Ministerij Verbi et Sacramentorum  
per Homines malos administrati  
Hale 1694.

6. Baumgarthen /, Sigism. Jac. / Diss.  
Sistens explicationem loci Joh. X. v.  
33 = 38, et vindicias Divinitatis  
Christi ex eodem exhibens, Halle 1735.
7. ——— Diss. de preceptione Christi pro  
avertendo Calice, Halle 1735.
8. ——— Diss. exhibens peribaptismi  
demonstrationem et vindicias contra  
Auctorem in p. fuligin ~~Wartburg~~  
Halle 1735.
9. ——— Diss. de veris signis vocationis  
Divine ad Ministerium Ecclesiasticum  
cum Halle 1746.
10. Breithaupt /, Joach. Justi / program.  
ma de Unitate Dei. Halle 1698.
11. ——— programma quo posterior  
Epistola ad Corinthios cognoscitur.  
Halle 1693.
12. Bülfinger /, Georgij Herm. / Apko.  
pismi, de natura et Legibus Studi  
in theologia thetica, Jene 1731.
13. Cellarij /, Christoph. / Diss. de  
Magis ex Oriente Stella Duce  
Bethlehemum profectis, Halle 1704.

14. D. J. C. F. J. de communicando  
judas
15. Deutschmann J. Joh. Diff. de  
Ministerio Verbi et Sacramento,  
rum, Witteberge 1665.
16. ——— Diff. de principio formali  
fidei protoplastorum paradisiace  
quoad passionem et mortem  
Messe Witteberge 1689
17. ———  
18. Grüneberg J. Joh. petri Diff. de  
peccatis Heroum fidei eminentibus  
Rostochi 1714
19. Gryuel J. Jacobi Diff. de gratia  
Dei Basileæ, 1592.
20. Haferwag J. Joh. Carol. Diff. de  
+9. fualione in tradendis Christiano  
Religionis Capitibus II Cor. V. vers.  
XI commendada. Witteberge 1726.
21. ——— Diff. von dem augm.  
Blick da die gläubige Vö  
zu Gott Rom Witteberge  
1726.
22. Hannecken J. phil. Ludov. Diff.  
fidear ductum Veritatis ad de,  
clarandam incessantem Divin.  
gratie invitationem, dum in via  
est peccator, respiratq 1700.

<sup>17</sup>  
~~22~~ Gerhard J. Joh. <sup>emp</sup> diff. ~~Magize~~  
Locorum theologiarum Joh. Gerhardi

23 Loescher J. Casp. <sup>ine 1657</sup> diff. Lutherus  
antipiedista Witteberge 1716.

24 Major J. Joh. diff. de Jesu Christo  
Dei et Mariae filii 1695.

25 Mairhofer J. Matth. diff. de  
rerum dominio, Jugoctad.

26 Michaelis J. Joh. Henr. <sup>1548</sup> diff.  
de Angelo Dei Hald 1702.

27. ——— diff. de programma  
pentecostale anni 1729.

28. ——— diff. de Christo  
petra Hald 1726.

29. Michaelis J. Chr. Bened. diff.  
de studio partium a Sarrarum  
Alterarum interpretatione reme-  
vendo, Hald 1729.

30. ——— diff. de nominibus  
proprijs Sarris, Hald 1729

31. Michaelis / Joh. Henr. / Diff  
ex jerem. 31. v. 22. foemina  
circundabit verum Hald 1733.
32. \_\_\_\_\_ Diff. de officibus  
humanis p. ex Ezechielii xxxiii.  
v. 1-14. Hald 1734.
33. Morheim / Joh. Laur. / Diff.  
de tribus in terra testibus.  
Helmst. 1725.
34. \_\_\_\_\_ Diff. de origine  
contentionum inter Corinthios,  
Helmst. 1726.
35. Musci / Joh. / Spinorismus,  
Witteberg 1708.
36. Myli / Georgi / Diff. propositiones  
contra Manichaeum de  
Substantia peccati, Jena 1592.
37. Neubauer / Ern. Frid. / Diff. qua  
Michaelis Messiam esse ipsi  
judeorum testimonijs comprobatur.  
Gissa 1733.

38. de Neve J. Joh. Willh. ~~Diff. de~~  
expositionum Mysticarum in ferdum  
tabernaculorum Revolini 1719.

39. Keyser J. Janus Diff. de Mundo  
Hamburgi 1708.

40. Oesfeld J. Joh. Fried. Diff. Dei  
et servati animam, Guelpher.  
libri 1730.

41. Oporin J. Joach. Diff. de constan.  
ser. tenenda communiore cum  
patre ac filio ejus Jesu Christo  
Goettinge 1791.

42. Diff. simpliciter  
divina, Eph. 6. v. 12. Goettinge  
1796.

43. Pfaff J. Christoph. Matth. Diff.  
de fide justificante, Tubingae  
1720.

44. Rambach J. Joh. Jac. ~~de~~ obser.  
vationes de parallelismo  
Scripturae jenu 1723.

45. Diff. de Scriptura  
sacra ad erroneos vulgi concep.  
tus accommodata, Halæ 1727.

46. Walch J. Joh. Georg J. Diff. de  
 varia indole interpretum s.  
 Scripturae, ienae 1727.
47. ————— de scripturarum  
 scrutatoribus Donis gratie Desbi,  
 Lutetiae ienae 1727.
48. ————— de providentia divina,  
 ienae 1727.
49. ————— Diff. de jejuniis qua,  
 Drigesimali ienae 1727.
50. Berardorff J. Gottl. J. explorat.  
 tio spiritus Bredeliani de  
 iudificatione, Wittberga 1719.



1  
MOSIS AMYRALDI,  
OLIM THEOLOGI SALMURIENSIS CELEBERRIMI,

DISSERTATIO

DE

OECONOMIA  
TRIUM PERSONA-  
RUM IN OPERIBUS  
DIVINIS:



QVAM,

IN PARAGRAPHS DISTINCTAM,  
SYNOPSISQUE INSTRUCTAM, DENUO,  
OB PRÆSTANTIAM SUAM,  
PRELO SUBJECIT

JOACHIMUS *Sange* /

S. THEOL. IN ACAD. FRID.  
PROF. PUBL.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Litteris & impensis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.  
M DCC XV.



99 A 6916





Σύνοψις.

- Opera ad extra, Creatio, Liberatio ex Aegypto & Redemptio sunt indivisa, salva tamen ιδιότητι.* §. I.
- Creatio est tribus personis communis.* §. II.
- Patri tamen magis propria* §. III.
- Et extra revelationem, citra respectum personarum ullum, ad Deum refertur* §. IV.V.
- ubi porro de fœdere, nature constitutionem consecuto, agitur* §. VI.VII.
- Liberatio populi Isr. ex Aegypto competu Patri* §. VIII.
- nec non Filio ac Spiritui S.* §. IX.
- quod opus etiam fœdus suum ad-junctum habuit, & quidem pro triplici* σχέσει §. X.
- pro prima* §. XI.
- pro secunda* §. XII.
- pro tertia* §. XIII.
- Redemptio prodit manifestissimam irium personarum, earum-que operationum, differenti-  
am* §. XIV.
- Quod opus etiam fœdus suum, sed ab ipso minus distinctum, annexum habet* §. XV.
- Ubi e distinctis personarum officiis patet differentia peccati adver-sus Patrem, Filium ac Spiritum Sanctum, commissi* §. XVI.
- Porro hic duo notanda sunt:*
1. *Quod unaquaque persona, se in peculiari œconomia & tempore ecclesie κατ' ἐξοχήν patefecerit* §. XVII.
  2. *Quod tres personae suam σχέσις ad tres diversos hominis status habeant* §. XVIII.
- Huc 3. accedit a) quod tres perso-næ distinctas habeant functiones pro ratione istarum œconomia-rum* §. XIX.
- multis scripturae locis hoc per-spicue docentibus* §. XX.
- b) quod ea functionum assigna-tio sit convenientissima sin-gulis personis;*
- id quod probatur & illustratur de Patre* §. XXI. XXII.

## DE OECONOMIA

de Filio §. XXIII.

de Spiritu S. §. XXIV.

Hinc graves quæstiones solvuntur:

1. Quomodo Filius Patri satisfacere poterit, cum tamen ipse sibi non satisfecerit: id quod

explicatur §. XXV.

illustratur §. XXVI.

2. Quomodo peccatum in patrem commissum remittatur §. XXVII.

3. Quomodo satisfactio Filii valere possit ad expiationem peccati, adversus ipsum Filium commissi §. XXVIII. XXIX.

XXX.

4. Cur peccato, adversus Spiritum Sanctum perpetrato, hæc omnia venia spes in æternum denegata?

id quod Auctor laborat solve

§. XXXI.

Et eximere duos sirupulos.

unum §. XXXII.

alterum §. XXXIII.

Conclusio de irremissibilitate peccati in Spiritum S. §. XXXIV.

NB. §. XXXI. Auctor hypothefin de absoluto reprobationis decreto, a qua alias paulo alienior est, facta manifeste producit.

DE OECONOMIA TRIUM  
PERSONARUM IN OPERIBUS  
DIVINIS  
DISSERTATIO.



Thi verum est, & in Scholis Theologicis vulgo receptum, opera Numinis, quæ fiunt extra ipsius essentiam, tribus personis esse communia; est tamen iidem longe verissimum, in eorum productione intercedere distinctionem aliquam inter eas operationes, quibus personæ defunguntur. Atque ea causa fuit, cur Ecclesiarum nostrarum Confessio suas cuique earum personarum veluti partes in operando sic assignauerit. *Pater, inquit, est prima causa, principium & origo omnium rerum: Filius est eius Verbum & Sapientia æterna: Spiritus Sanctus est eius virtus, potentia, atque efficacia.* Quum igitur tria sint Dei opera præcipue memorabilia, & ad quæ reliqua

### TRIUM PERSONARUM.

qua omnia referuntur, Creatio, Populi Iſtaelici ex Ægypto liberatio, & Redemptio denique, vna cum iis fœderibus, quæ ſingula illa opera comitantur; ſcire operæ pretium eſt, quæ ſit in omnibus iſtis operibus ratio discriminis, quod ſecundum œconomiam illam inter diuinarum perſonarum operationes intereſt.

§. II. Vt igitur a primo ordiamur, opus creationis conſiderare poſſumus, vel prout nobis innotuit ex reuelatione, quæ per verbum Dei facta eſt, vel prout innotefcere potuit ex vſu rectæ rationis, ſi citra opem iſtius reuelationis ſe ſe ad rei ipſius contemplationem bene & conuenienter appuliſſet. Si igitur creationis opus priore modo conſideremus, facile deprehendemus, mundum a Patre eſſe creatum, quatenus bonæ ſuæ voluntatis impulſu, illi eſſe, quod non habebat, donare aggreſſus eſt: a Filio item eſſe conditum, quatenus eſt æterna Sapientia Patris, cuius veluti ductu atque adminiſtratione conſilium de condendo mundo & ſapienter digeſtum & congruenter executioni mandatum eſt: ac denique Spiritum Sanctum in eius creatione ita verſatum eſſe, vt quod a Sapientia ſic digeſtum & adminiſtratum erat conſilium, eius infinita virtute ac potentia effectum reuera daretur. Talem enim in admirabili illa & incomprehenſa diſpenſatione fuiſſe Patris operationem, ex eo conſtat, quod conſideratur vt principium & prima cauſa atque origo, ex qua res omnes fluunt. Talem fuiſſe operationem Filii, teſtis eſt cum Salomo, qui Prouerb. 8. Sapientiam eum appellat, rerum omnium conſtitutioni veluti præſidentem, tum Ioannes Apoſtolus, qui eo procul dubio reſpiciens, quod initio Geneſeos Deus dixiſſe, vt hoc vel illud fieret, tam ſapienter memoratur, nominauit eum λόγος, abſque quo nihil omnino factum eſt eorum, quæ facta eſſe dicuntur. Talem denique in eo fuiſſe operationem Spiritus Sancti, palam eſt, tum ex eo, quod dicitur ſe ſe motiſſe ſuper aquas, vt ſolent facere aues, quæ ouis ſuis incubant, tum ex eo, quod paſſim omnes operationes extraordinariæ atque miraculoſæ, & in quibus inuſitata quædam atque infinita potentia ſe ſe exerit, tribuuntur Spiritui Dei, tanquam ei cauſæ, cuius interuentu omnia operatur.

§. III. Et ſecundum eam reuelationem quidem, etſi Creatio

tio tribus personis communis est, refertur tamen ad Patrem præcipua quadam ratione. Præterea quod enim actus ille voluntatis diuinæ, cuius vi Deus primum inductus est, vt mundum creare designaret, quicquid Filius in eo egit, quatenus λόγος est & Sapientia, id egit aliquo modo dependenter a Patre. Qua de causa Pater dicitur mundum creasse per Filium, Hebr. i. v. i. Quod Spiritus Sanctus in eo operatus est, id videtur itidem egisse non modo dependenter a Patre, sed etiam a Filio. Vterque enim per Spiritum mundum creasse dici potest. At nemo vnquam dixerit, neque Filium, neque Spiritum S. mundum per Patrem condidisse. Quamobrem si ad eam quæstionem, quis mundum creauit, animus est respondere per aliquam cogitationem, aut, vt loquuntur, conceptum, qui ad œconomiam istam accurate referatur, omnino conceptum istum diuersas partes, aut diuersa momenta, habere oportebit, quorum primum & maxime memorabile ad Patrem recta ibit, reliqua duo, quæ Filium & Spiritum Sanctum spectabunt, sequentur tantum, ac veluti ex illo pendebunt antecedente.

§. IV. Si vero reuelatione Scripturæ sacræ seposita, mundi creationem consideremus, quatenus rectæ rationi rem per se contemplanti innotescere potuit, neminem futurum esse puto, qui neget, mundi quidem machinam præ se ferre argumenta quædam aributorum diuinorum indubitata, vt causæ in effectis videri solent; distinctionis vero diuinarum personarum in ea nullos certos existere characteres. Non ignoro inter veteres atque recentiores Theologos & repertos esse olim, & etiam nunc reperiri, qui nonnullas beatissimæ Trinitatis imagines in rerum natura inuestigare nituntur. Verum si quis rem paulo diligentius expendat, facile animaduertet, illud pene omne, quicquid est, quod in eo genere obseruauerunt, non modo nullo solido niti fundamento, sed ne speciem quidem vllam habere veritatis; atque adeo etiam haberi debere multo magis pro lusu aliquo ingenii humani, haud satis circumspecte latuientis in re graui, & quæ non nisi cum singulari reuerentia tractari debuit, quam proferriis solidisque ratiocinationibus, quibus aliqua certa stabilisque scientia innitatur. Tum, etiam aliquid ab iis in eo genere

## TRIVM PERSONARVM.

7

reperitum esset, quod haberet in ipsa rerum natura fundamentum, immane quantum inter duo ista interest, reperire in natura rerum imagines quasdam doctrinæ, quam tu iam ex revelatione verbi divini didicisti; & citra eam revelationem, ad illius doctrinæ cognitionem devenire ope atque interuentu solius contemplationis eorum rerum, quæ obscura quædam illius præ se ferunt similitudina potius, quam documenta. Si non est a vero alienum, figuram quadrati cum circulo proportionem habere talem, ut commensurari inter se queant, & si instinctu inspirationis, aut reuelationis alicuius extraordinariæ, cuiquam indultum esset, ut in eius proportionis cognitionem incideret, haud illi, puto, postmodum foret admodum operosum, quemlibet ad eam viâ atque ratiocinatione deducere, partim principiis Euclidis insistendo, partim ex illis conclusiones eliciendo; ut tandem manifestum esset, præstantissimum Geometram desperatæ illius veritatis veluti semina in aliqua suarum propositione reliquisse. At quia nondum ista lux extraordinaria nobis affulsit, *Σύνημα* illud excellentissimorum Mathematicorum captum longe hæctenus superavit.

§. V. Si Adam antequam vel peccasset, vel redemptionis promissionem accepisset, non nihil ex revelatione de mysterio Trinitatis edoctus esset, fortean eius aliqua in natura rerum documenta deprehendisset. Absque eo foret, mihi certum pene atque indubitatum esse videtur, quantolibet studio in rerum contemplatione versatus esset, futurum fuisse, ut mysterium istud eius fugeret acumen atque sagacitatem. Quidquid igitur de natura Numinis ex naturæ aliarum rerum contemplatione cognoscere potuit, id omne situm fuit in intelligentia attributorum diuinorum, quorum discrimen longe aliter, quam personarum ipsarum distinctionem, considerare solemus. Etenim in distinctione personarum nulla religio nos incescit, quin tres conceptus efformemus qui referuntur non ad tria numina quidem (nam vocabulum illud sentiam denotat tribus personis communem) sed ad tres *ὑποστάσεις* in eo numine, quarum vnaqueque cogitationem nostram circumscribit atque determinat. At in distinctione attributorum, si quando contingit, ut varios conceptus

ceptus imaginemur, id inde fit, quod secundum modum concipiendi atque considerandi nostrum, haud aliter de proprietatibus diuinis cogitamus, quam de virtutibus quibusdam, (& certe eas Petrus *ἀπεράς* appellat) quasi natura sua differant ab eius essentia; fere vt in nobis habitus & qualitates ab ipsa animæ substantia discrepare intelligimus. Postquam vero eo rediimus, vt reputemus animo, quicquid in Deo est, Deum ipsum esse oportere (quæ est Dei natura simplicissima, & omnis omnino compositionis ex-pers) tum statim plures illos conceptus ad vnum redigimus, e-  
 unque talem efformare nitimur, vt vno obiecto, citra vllam distinctionem, definiatur. Fit ergo mihi admodum verisimile, adeo vt id ausim pronuntiare pro vero, rectam hominis rationem, nisi aliunde lux supernaturalis affulsit, dum in vnus naturæ contemplatione versata est, hac notitiæ mensura contentam fuisse, vt nihil plane de pluralitate personarum cogitans, eamque funditus ignorans, ab ea ignorantia, quæ non in perversa ingenii dispositione, sed in mera notitiæ negatione consistit, formaret circa obiectum diuinitatis conceptum quendam, qui numen, tanquam vnicam subsistentiam, consideraret. Quamuis igitur conceptus ille non excludat formaliter e natura numinis vllam e personis diuinis, quia, vt dixi, de ea distinctione nihil cogitat; certum est tamen, eum multo magis formaliter ad personam Patris, quam ad personam Filii, aut Spiritus Sancti referri, tum quia persona Patris ordine prima est, tum etiam quia cum Pater respectu Filii is sit, qui gignit, respectu vero Spiritus Sancti, is ex quo fit emanatio, quæ processio nuncupatur, ambo ex illo aliquatenus dependere videntur.

§. VI. Iam de federe, quod Naturæ constitutionem comitatum est, aliquid dicamus. Quum omnia Dei federa duabus rebus contineantur, officii stipulatione, & promissione præmii, nihil nunc necesse est, vt posterius istud consideremus. Ad prius quod attinet, neminem esse opinor, qui non facile per se intelligat, longo intervallo distare partem eam officii primi hominis, quæ in abstinentia ab arbore vetita consistebat, ab ea parte, quæ posita fuit in obseruatione rerum, quarum ipsa Natura præcepta documentaque præbebat. Etenim quando edere, vel non edere

ex,



TRIUM PERSONARUM.

9

ex arbore vetita, res fuit natura sua indifferens, & quæ bona, vel mala esse non potuit, nisi quatenus Deo libuit eius vsum esse vel solum, vel interdictum, præceptum istud pependit ex iure positivo. Cuius iuris constituendi penes Deum, quæ est eius summa ὑπεροχή, debuit esse potestas. Alterum genus officiorum ita fluxit e iure naturali, vt non modo homini inuolata ea esse oportuerit, sed vt ne Deus quidem ab eorum obseruatione, nisi semetipsum abnegare vellet, potuerit dispensare. Vt igitur priorem istam partem officii humani silentio prætereamus (quod enim de altera dicturi sumus, ad constitutum nostrum abunde sufficiet, (posterior consistebat in perfecta pietate aduersus Deum, perfectaque caritate erga proximum, quæ se exerere debuit, simulatque proximas aliquis existeret, aduersus quem exerceretur. Iam autem neque potuit homo Deo exhibere officium istud veræ perfectæque pietatis, nisi ea ratione adductus, quod illum eo dignum esse iudicabat: neque illum eo dignum iudicare potuit, nisi inductus admiratione virtutum illius atque proprietatum: neque virtutes eius atque proprietates admirari valuit, nisi quia fulgentes eas in diuinis operibus, tanquam causas in effectis, clare & distincte intuebatur. Quando igitur mundus effectus est *Potentia* diuinæ, quæ ipsum eduxit e nihilo, & *Sapientie*, quæ tam admirabiliter eum disposuit, & *Bonitatis*, quæ se se in eius constitutione, tot tamque variis modis explicauit, ex tres præcipue fuerunt numinis virtutes quas homo agnoscere debuit, & a quibus induci potuit, vt Deo cultum illum pietatis exhiberet.

§. VII. Ad alias virtutes quod spectat, aut non aliunde innotescere tum potuerunt, nisi quia rem apud se homo ea rationatione reputabat, naturam tanta potentia, tam admirabili sapientia, tam immensa bonitate denique præditam, non posse cæteris virtutibus, & vt ita loquar, perfectionibus, quæ tam præstanti rei conueniunt, vilo modo esse priuatam: aut saltem, si minus aperte tum declaratae fuerunt, tractu temporis in reueuentibus & administratione atque gubernatione prouidentia postmodum clarius reuelari debuerunt. Quam autem ex omnibus

B

bus

bus Dei virtutibus quæ ad pietatem in hominum animis ingenerandam conferre possunt, dux id pene vnice præstare videntur, *Iustitia* atque *Misericordia*, Iustitiam quidem donec homo peccaret, experientia compertam habere non potuit; cognita tamen certe quidem illi fuit quantum ista denuntiatio, *statim ac ex illa arbore comederis, morte morieris*, eam Adami ob oculos conspiciendam veluti sistebat. At quantumuis clare & perspicue iram Dei vindicem reuelauerit, tantum abest vt misericordiam notam fecerit, vt omnem illius spem excludere videretur. Seu igitur in obseruatione istius officii spectes naturam atque indolem virtutum, quæ eam generare debuerunt, nullam præbent homini occasionem quidquam de distinctione personarum cogitandi: seu spectes eius plenitudinem atque perfectionem, quantum eam esse oportuit vt remunerationem consequeretur, nullam illi iniecit suspicionem. Nam certe si qua tum facta fuisset misericordix diuinæ declaratio, habuisset proculdubio mentionem aliquam satisfactionis, seu obscuram illam atque confusam, seu vero distinctam. Doctrinam autem de satisfactione, doctrina de distinctione personarum, necessario sequitur. Verum quia misericordix nulla tum facta fuit declaratio, vniuersa illa reuelatio, ex qua fedus naturæ pendebat, earum virtutum ac proprietatum ambitu comprehensa fuit, quæ si considerentur sub conceptibus differentibus, concipiuntur ad modum non personarum aut *ἰσοστάσεων* distinctarum, sed qualitatum aut habituum duntaxat; si vero considerentur tanquam vnum quid cum ipsa Diuinitate, comprehenduntur sub vno conceptu, qui in vno obiecto tanquam in vna subsistentia terminatur. Iam autem supra a me animaduersum est, omnem talem conceptum multo melius & conuenientius ad primam quam ad secundam vel tertiam personam accommodari.

§ VIII. Iam ad alterum opus Dei & ad fedus quod opus istud consecutum est, considerandum accedamus. Liberatio populi Israelitici ex *Ægypti* captiuitate, opus est ad tres in commune personas referendum, sed ita tamen vt in operationum distinctione oeconomia quædam pariter obseruari debeat. Nam

*Pater*

TRIUM PERSONARUM.

IF

*Pater* in eo considerari debet tanquam is ex cuius voluntate totius negotii consilium processit. Cuius rei non obscurum argumentum extare videtur in illo loco. *Quum Israel adhuc admodum inuenis ac veluti infans esset, eum dilexi, & filium meum ex Ægypto vocavi.* Constat enim ex primis huiusce versiculi verbis, atque adeo ex materia vniuersæ Prophetiæ subiecta, occasionem cur Deus ita loquatur, ex liberatione Israël esse petitam. Neque vero minus clarum est ex vltimis eiusdem sententiæ verbis, & Matthæi Euangelistæ interpretatione, Deum in illis ad Christum potissimum respexisse. Vt multa sunt in V. Testamento e re præsentî nata & ad eam vti quidem prima fronte videtur, accommodata, quæ tamen spectant vterius & ad euentus adhuc longissimæ remotos a Spiritu Dei diriguntur. Nisi ergo Pater ille esset proprie qui sese proficitur Israëlẽ eduxisse ex ea captiuitate, adeo vt opus istud vel ad tres personas indifferenter, vel ad vnã ex aliis duabus pertineret, vix dici posset qua ratione quidquid illud est, applicaretur ad eam historiam, in qua Pater præcisè spectatur vt is qui Filium vnigenitum curauit reuocari ex Ægypto, in quam Iosephus & Maria ex cruenta infantium laniena illum asportauerant. Id ipsum ex eo loco confirmatur, de Pharaone pronuntiatio, *Te in eum finem suscitauit* &c. Paulus enim ad Rom. 9. verba ista refert ad eum ad quem pariter refertur dispensatio mysterii electionis atque reprobationis. Caret autem omni difficultate Patrem esse qui proprie eligit atque reprobat. Fit enim electio, vt qui eliguntur deducantur a Patre ad Filium, vt id Scriptura centies significauit.

§. IX. *Filius* in eo spectatur vt is cuius interuentu res tantæ molis tantique moliminis sapientissime fuit administrata; adeo vt tamen nihil ei opus esset e cœlo ea de causa descendere, voluerit tamen illam & præsens, & singulari quadam ratione procurare. Neque enim dubito, quin ii recte admodum senserint, qui putarunt ad secundam Trinitatis personam præcipue pertinere, quod tam sæpe dicitur *Angelus Domini apparere in Israël,* & ei præsens adesse, & exercitum illum per desertum ducere, donec ad terram promissam tandem aliquando perueniret. Vt igitur

gitur in prima rerum creatione Sapiencia omnibus ita presens adstitit, vt habetur Prouerb. 8. v. 27. 28. 29. vt absque eius interuentu nihil quicquam factum sit eorum, quæ creabantur: Sic in liberatione Israël, Dei Angelus vsque adeo assidue omnibus presentiam suam accommodauit, vt pariter absque eius ductu nihil quicquam gestum sit eorum, quæ gerebantur. Ad *Spiritum* autem quod attinet, partes illius in toto eo negotio fuerunt, cum patrare miracula, quæ incoaptum illud tantopere nobilitarunt, tum Mosi dotes afflare quæ obeundis functionibus muneris ipsi demandati necessaria fuerunt, tum aliis inspirare solertiam, industriam & extraordinariam peritiam earum artium, quarum v. fus contulit aliquid ad publicam vtilitatem, vt de Betfaleele & Aholiabo memoratum est; ac denique alios inusitatis quibusdam & heroicis motibus concitare, quorum exempla existant in historia Moisis admodum illustria & luculenta.

§. X. Fedus autem ipsum, quod liberationem Israël ex Ægypto comitatum est, (nam de eo etiam aliquid tradendum est) si spectes varios respectus, quos ad varias res habuit, diligenter distinguendi erunt, vt in eo distinctionem & diuersitatem istius oeconomix pariter obserues. Lex igitur secundum tres *res* considerari potest. Primum præcise in se, quatenus fedus erat, cuius formula fuit, *hoc fac & viues*. Deinde quatenus spectabat ad fedus Euangelicum, eoque tanquam ad finem suum referebatur. Denique quatenus comitem habebat efficaciam quandam, cuius interuentu effectum aliquem quicumque tandem ille foret, producebat in animis hominum, absque quo esset, omnino fuisset irritum atque inefficax.

§. XI. Ad primam autem illam *res* quod spectat, etsi fedus legale & naturæ fedus in multis differunt, in eo tamen conueniunt, quod illis pariter ambobus præcipue essentielle est, atque maxime proprium, quod vtrumque remunerationem obseruationi mandatorum suorum absolutissimæ pollicitum est, vtrumque vel minimæ transgressioni maledictionem irreuocabilem intentat. Adeo vt in lege Deus nullam misericordix suæ significationem dederit, sed eas tantummodo virtutes reuelauerit, quas

TRIUM PERSONARUM.

FF

quas iam in federe Naturæ, ut est a nobis examinatum supra, patefecerat. Iam autem vidimus virtutes illas esse istiusmodi, ut ne minimam quidem occasionem præbuerint vel credendi vel suscipiendi tres in vno Numine personas subsistere distinctas. Ad intellectus humanus haud aliter eas concipere possit, quam conceptu, qui non modo vnum Deum repræsentat (ut ut distinctio illa, quæ in Trinitate est, nobis reuelata sit, pluralitas numinum procul semper a conceptibus nostris abesse debet) sed etiam vnam *ὁμοῦσιον*. Et vidimus præterea conceptum istum, etsi duas alias personas non secludat formaliter (non potest enim secludere nisi de iis cogitando) multo directius tamen in primam personam tendere, quam vel in secundam vel in tertiam, vel in vtramque. Idem igitur hac in parte iudicium esto de federe legali ac de federe naturæ.

§. XII. Ad secundam *ἁείων* quod attinet, Lex in eum finem instituta est, ut homines ad Christum deduceret, teste Apostolo. Id autem præstare debuit variis modis: terrendo scilicet conscientiam, & desperationem obtinendæ remunerationis per mandatorum suorum obseruationem, incutiendo: disciplinam prædagogicæ suæ scrupulose & nonnunquam duriter exercendo: ac denique umbras typorum & allegoriarum suarum ostentando. Nam de vaticiniis quæ diserte de Christo edita sunt, nihil dicimus, quia etsi Legi permixta sunt, haud tamen pertinent ad Legem ipsam. Et primum illud quidem in eos animi angores impulit quos Apostolus hisce verbis descripsit, *Eheu me! Quis me liberabit, &c.* Rom. cap. 7. Alterum cogitationem istam in animum iniecit haud futurum fuisse ut Deus vsque adeo anxie religionem institueret, ex tam varia rerum congerie constantem, quarum obseruationem seuerè admodum exigebat, si omnino apud eum decretum fuisset & constitutum homines ab omni spe salutis repellere in æternum. Tertium denique potuit imprimere in eorum animis, qui paulo excitatores & attentiores erant, obscuras quasdam atque imperfectas ideas salutis illius quam Deus & procurare, & aliquando plenius atque lucidius reuelare & explicare dedecreuerat. Omnia autem ista consulas quasdam

miseri cordiæ diuinæ ἐνοίας ingenerant: cuius virtutis Deus nul-  
lam vnquam significationem dedisset, nisi filium suum in mun-  
dum mittere constituisset. Id autem distinctionem personarum  
in diuinitate includit. Itaque rerum istarum administratio &  
debit & potuit Filio conuenientissime committi, atque adeo  
ante ipsius incarnationem, & pendere ex ea oeconomia iuxta  
quam supra diximus secundam personam Trinitatis præsentem  
adstitisse omnibus rebus, quæ in liberatione Israelis & in insti-  
tutione federis legalis a Deo gestæ sunt, sæpeque fuisse Angeli  
Domini nomine nuncupatum.

§. XIII. Ad tertiam denique *ἔξω* quod attinet, quocunque  
modo Deus voluntatem suam hominibus patefaciat, frustra il-  
lud futurum est, quæ est cordis humani inolita atque inuisita  
durities, nisi Deus: vna cum externa reuelatione efficacitatem  
aliquam potentia suæ intus in mentibus explicet. Ne igitur fœ-  
dem istud legale prorsus esset apud omnes irritum atque inutile,  
& vt saltem in nonnullis tales aliquos produceret effectus, qua-  
les a me iam antea memorati sunt, vim quandam sui spiritus De-  
us ei comitem adhibuit. Atque id ipsam est quod Paulus ap-  
pellat Spiritum seruitutis, qui haud dubie ad tertiam beatissimæ  
Trinitatis personam referendus est.

§. XIV. Restat ergo tertium opus, quod redemptio, & in-  
stauratio mundi nuncupatur, a quo vix est vt sedes ipsam ex  
quo dependet, distingui queat, quod in duobus reliquis a nobis  
hucusque factum est, vsque adeo mista sunt inter se atque im-  
plicata. Id tamen præstare tentabimus. In opere ipso igitur,  
institutum enim a nobis ordinem tenebimus, manifestissima est  
operationum trium personarum & omnium animis expositissima  
distinctio. Pater enim in eo consideratur tanquam is, qui rem  
designat, tum cum Filium in mundum mittere decernit, iuxta  
illud, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum dederit, &c.* Ioh. 3.  
Item: *At Deus charitatem suam maximopere commendauit, eo quod  
cum impij eramus, Filium suum, &c.* Rom. cap. 5. Tum etiam cum  
discrimen inter homines per electionem constituit, iuxta illud,  
*Tui erant Pater, & tu mihi eos dedisti, &c.* Ioh. 17. Ista enim ad  
primam

primam personam referri debere, videtur esse positum extra omnem dubitationem. Filius in eo consideratur vt is cui munus demandatum fuit effectum dandi, quod consilio paterno iam designatum erat; primum satisfactionem, quæ necessaria fuit, præstando; deinde auctoritatem & potentiam infinitam vice Patris exercendo, vt rem ad exitum perduceret. Spiritus sanctus in eo consideratur vt is, cuius interuentu Filius vtitur, vt reuera præstet & exequatur, id quod est illi a Patre impositum atque demandatum. Scilicet Spiritus nos eripit e potestate peccati per sanctificationem; Spiritus nos eripit e potestate mortis per resurrectionem, vt Paulus docet, ad Rom 8. 10. 11. Spiritus denique mundum vniuersum instaurabit, & glorioso illo, ad quem adhelat, statu induet, per libertatis filiorum Dei manifestationem.

§. XV. In federe ipso tria spectari debent. Nimirum id cuius occasione fedus contractum est. Deinde federis ipsius natura, & conditio, qua nititur. Ac denique efficacitas, ex qua pendet conditionis præstatio, & executio rerum, qua conditionis præstationem consequuntur. Id cuius occasione fedus istud contractum est, peccatum appellatur, tam id quod contra legem naturæ, quam quod contra fedus legale commissum est, cuius vtriusque maledictio est necessaria sequela. Natura federis, & conditio, qua nititur, ista formula comprehenditur, *crede Iesum Christum seruatorem tuum, & particeps eris salutis; cuius auditor est.* Efficacitas ex qua conditionis præstatio & aliarum rerum executio pendet, vis Spiritus est, qui mentes hominum illuminat, qui facit, vt veritatem istius propositionis, Christus est seruator hominum, perspiciant atque agnoscant, qui sic fidem ingenerat, qui denique, postquam creditum est, vberiore sui copiam vidioremque sensum in consolatione & sanctificatione præbet atque suppeditat.

§. XVI. Atque ex eo luce meridiana clarius est operationes trium personarum esse distinctas, adeo vt id sufficere posse videatur ad declarandam & explicandam differentiam quæ inter peccatum commissum aduersus Patrem, & peccatum denique commissum in

missum aduersus Spiritum Sanctum, intercedit. Peccatum enim aduersus Patrem consistit in violatione federis naturæ & federis legalis, præcise in se considerati. Solus enim pater in istis federibus sese præbet conspicendum. Peccatum in Filium consistit in violatione federis Euangelici, cum rejicitur per incredulitatem. Officium enim quod in eo a creatura exigitur, positum est in fide qua creditur Christum esse redemptorem. Id autem infidelis credere detrectat. Peccatum aduersus spiritum consistit in violatione operationis Spiritus, quæ noticia veritatis istius propositionis illuminat, *Christus seruator est*, adeo vt etiam cognita rejiciatur.

§. XVII. Sunt tamen hic præterea duo diligenter obseruanda. Ac prius quidem illud est, quod quemadmodum tres istæ personæ beatæ Trinitatis, habent operationes distinctas secundum admirabilem illam œconomiam, sic vnaquæque earum se se singulari quadam ratione hominibus patefecit, adeo vt fere se visibiles exhibuerint, vt quæque suo tempore Ecclesiam gubernaret. Tametsi enim Filius non fuerit omnino seclusus ab ea reuelatione, per quam Numen se se post peccatum semel admissum in operibus Naturæ manifestauit, multo vero minus ab institutione federis legalis, vt est a nobis modo expositum; Patris tamen *Æteris* in vtroque longe manifestior fuit, longæque magis memorabilis. Vt sane Lex præcise in se considerata, vt est Lex, hoc est, fedus ea formula comprehensum, *Hoc fac & viues*, & *maledictus &c.* longe vehementius ferit animum, quam respectus ille per quem ad Euangelium tanquam ad finem suum refertur. Pariter, tametsi postquam Filius apparuit in carne, Pater sese mentibus hominum offerre non destitit, præsentia Christi tamen præ se ferebat aliquid splendidius & magis singulare, quodque animum vehementius pellere oportuit. Vnde ista Christi verba ad Philippum, qui cum ipsum rogaret vt sibi Patrem ostenderet, *Philippe*, inquit, *qui me vidit, vidit & Patrem*. Sic enim certe hominum animos Christus ad se reuocare satagebat. Denique tametsi cum Spiritus Sanctus die Pentecostes e cælo delapsus est, vt absente Christo, ad Ecclesiam guber-



TRIUM PERSONARUM.

17.

gubernacula sederet, persona Filii se non omnino ex hominum oculis subduxisse videbatur, ideo quod Spiritus ab ea missus fuit, persona tamen Spiritus tum multo magis fuit conspicua, magisque hominum animos presentia ac veluti visibilitate sua commovit. Ut quemadmodum tres illæ personæ distinctæ sunt & in se, & respectu suarum operationum, haberent etiam apparitiones sui que patefactiones pariter distinctas; & quemadmodum æquales sunt inter se, sic etiam gubernandi auctoritatem ex æquo inter se partirentur.

§. XVIII. Posterius illud est, quod tres istæ personæ, perinde ut respectu operationum inter se distinguuntur, habent quæque suam *æson* ad tres varios status, in quibus homo considerari potest. Etenim spectari homo potest ut creatura quadam rationalis, legum diuinarum & pietatis capax, at nondum peccato contaminata. Deinde ut creatura rationalis quidem, & peccato contaminata, at in qua Deus nondum vim ullam sui spiritus exercuit, ut eam liberet a peccato. Ac denique ut est creatura non modo rationalis atque peccatrix, sed etiam cuius Deus virtute sui spiritus mentem illuminauit, ut rationem suam liberationis agnoscat & aliquatenus amplectatur. In primo illo statu, homo & persona Patris ad se se mutua *æson* referuntur. Ita ut id peccatum, quod homo tum admittit, præcipue aduersus Patrem admittere putetur, quia, ut iam diximus, Persona Patris se se tum ei præcipua quadam ratione cognoscendam atque venerandam objicit. In secundo, homo & Persona Filii se se inuicem pariter respiciunt, adeo ut peccatum, quod homo perpetratur, dum gratiam rejicit, præcipue aduersus Filium perpetratum esse existimetur, quia tum Filius se se homini singulariter offert, tamquam Redemptorem amplectendum. In tertio homo & Persona Spiritus mutuum respectum ad se habent inuicem, adeo ut peccatum, cuius homo se reum constituit, cum gratiam illam respuit, quam Spiritus offert, efficaciter, aut cum eam, jam istius efficaciz interuentu aliquatenus admissam, abicit atque contemnit, censetur esse commissum aduersus Spiritum sanctum, quia lucem ab eo indultam præfocet & extinguit.

C

§ XIX. Ad

§. XIX. Ad ista duo tertium quoddam adijci potest, id autem ita se habet. Tres diuinæ personæ non modo operationes suas ita partitæ sunt secundum eam dispensationem, sed conueniebat, vt quod maxime, vt eas eo modo distribuerent, adeo vt cuique sua functio non potuerit magis proprie magisque congruenter assignari. Aio igitur primum, clarum esse illas sic inter se suas operationes distribuiffe. Videmus enim quidem, id in Scriptura *Patri* attribui, quod *Filium* miserit, *Filio*, quod missus sit a Patre. Nusquam vero neque Filius mittere Patrem, neque Pater a Filio mitti dicitur. Sic docet Scriptura, Filium passum esse pro peccatis nostris, ipsique a Patre passionem illam fuisse impositam. Patrem quidquam perpeffum esse, nusquam docet. Tradit Scriptura, Filium sacrificium obtulisse Patri, quod ipsi gratum atque acceptum fuit, unde perfecta est propitiatio, Patrem vel Filio, vel cuiquam alii, sacrificium obtulisse, a Scripturæ verbis est profusus alienum. Denique Scriptura Filium mediatorem appellat, eumque inter Patrem atque homines constituit. Muneris istius Patri ne minimam quidem partem assignat, De Spiritu vero dicitur, eum esse & a Patre & a Filio missum; ab eo vel Patrem, vel Filium, vilo modo esse profectos, res est a qua Scripturæ doctrina vehementer abhorret. Et quamuis illuminatio, consolatio, sanctificatio animorum nostrorum, & Filio tribuatur & Patri; tribuitur tamen Spiritui sancto certo quodam modo, qui satis indicat, istam ei operationem multo aliter, quam reliquis duabus personis, conuenire. Atque adeo si nihil aliud esset, Sancti Spiritus nomen, & titulus consolatoris nobis abunde persvaderent, in ea suarum operationum œconomia tres beatissimas personas suas ita diuiffisse functiones, vt munus applicandæ satisfactionis, quam secunda primæ præstitit, singulari ratione fuerit tertiæ demandatum.

§. XX. Non autem fieri potuisse duntaxat, sed reuera factum esse, vt talis œconomia inspicueretur, multa Scripturæ loca perspicue demonstrant. In primis istud ex eo manifestum est, in quo Christus ait, *Patrem neminem iudicare, sed omne iudicium dedisse Filio*, Ioan. 5. & item ex eo, vbi Paulus docet, postquam

## TRIVM PERSONARVM.

19

quam impleta fuerint omnia, quæ sunt ad salutem nostram, omnibus suis numeris atque partibus absoluendam, necessaria, fore, *vt Filius regnum tradat in manus Patris.* 1. Cor. 15. Patet enim ex priore, quamdiu viget ea pars istius œconomix, in qua nondum habetur ratio præstitæ satisfactionis, Patrem considerari, tanquam eum, ad quem spectat mundum iudicare, & iustitiam exercere propter peccatum. Atque ea de causa ipsi satisfactio præstita est. At in illa œconomix parte, in qua satisfactio obtinet, Pater omnem iudicandi potestatem in Filium confert, ut eam exerceat, quia iam sunt eius partes, suam exereat atque patefacere in mundo maiestatem, & idcirco in locum Patris succedere. Ante satisfactionem igitur Pater mundi iudex est, ad quem peccati vitio, quæ in satisfactione facta est, ex œconomix lege vnice pertinet. Post satisfactionem, & peccati in ea punitionem, Filius tum is est, cui pater cum vitam conferendis credentibus, tum iudicandi & puniendi auctoritatem concessit, si quis satisfactionis fructum amplecti nolit. Patet idem ex posteriore, Filium, postquam semel rem effectam dederit, quæ ex eo munere pendet, Patri auctoritatem esse redditurum, ut sit omnia in omnibus. Adeo ut post illud, foret aliquid aliud iudicium exercendum, id non amplius ad Filii, sed ad Patris munus, si munus dici potest, pertineret. Sic iudicis cum res, tum appellatio, quæ naturaliter tribus personis ex æquo convenit, quia pariter iis ex æquo convenit Sapientia, Iustitia, Potentia, & si quæ sunt aliæ virtutes, ex quibus regendi potestas efflorescat, tum ad Patrem, tum ad Filium, pro diuersis admirabilis istius œconomix respectibus, restringitur & adhærescit.

§. XXI. Aio præterea, rem istam non potuisse magis convenienter dispensari, ut sua cuique personæ propria functio assignaretur. Nam ad primam quod attinet, in opere tali, quale est opus redemptionis nostræ, clarum est, eum, cui iudicis partes competunt, esse digniore loco, quam eum, qui se reum, vel reorum vadem, constituit. Quando igitur, etsi tres illæ personæ æquales sunt essentia, æternitate & omnibus aliis attributis, is tamen est inter eas ordo, ut persona patris primo loc-

C 2

nu-

numeretur; conueniebat ut quod maxime, ut in eo negotio digniorem locum occuparet. Rursus in eo opere, is qui mittit aliquid, ut munere mediatorio fungatur, quique idcirco referat omnes thesauros tam misericordiae, ut genus humanum seruare velit, quam sapientiae, ut, qua ratione id commodissime fieri queat, committatur, quam potentiae denique suae, ut naturam diuinam cum natura humana in eodem supposito coniungat, censetur esse prima causa, unde salus proficiscitur, primusque fons, ex quo redemptio promanat. Competebat ergo ista functio in primam personam, quae in omnibus operibus, tanquam principium & prima rerum causa, habetur.

§. XXII. Adhibeamus, ad rei illustrationem, exemplum. Si duo forent homines, in eodem regiae vel imperatoriae auctoritatis folio collocati, inter quos nullum discrimen interesset, nisi quod alter pater esset, alter vero filius, necesse autem haberent, ut alteruter aliquantisper abstineret ab usu & exercitio supremæ istius potestatis, ut in remotissimas imperii prouincias, negotiorum ad imperii maiestatem pertinentium ergo, proficisceretur, interea autem rerum summam in alterius manu relinqueret; quis dubitare potest, quin filio potius, quam patri, proficiscendum, patri potius, quam filio, in auctoritatis administratione manendum esset? Iam autem in hoc, de quo nunc agimus, mysterio, prima persona Pater est, penes quem ideo remanere debuit caelestis ac diuinæ potestatis maiestas, tantisper dum Filius descenderet in mundum, & quæ ad gloriam Dei & salutem generis humani pertinebant, administraret. Vno verbo, quandoquidem satisfactio, uti postmodum videbimus, in eum præcipue finem instituta fuit, ut peccata aduersus legem naturæ perpetrata expiarentur, Pater autem in federe naturæ præcipue consideratur, longe conuenientius fuit, & cum rei natura magis consentaneum, ut pater poenas exigeret eorum, quæ aduersus legem istam admittunt, Filius vero eas solveret, cuius persona in eo federe aut omnino ignota, aut saltem multo minus cognita erat.

§. XXIII. Ad secundam personam quod spectat, munus mediatoris

diatoris melius in eam competebat, quam in tertiam. Cuius rei duæ sunt in promptu rationes. Vna, quod cum perperiones, quibus se se obnoxium reddere oportuit eum, qui munus istud suscipiebat, excipere debuerit inenarrabilis quædam gloria, cuius splendor atque dignitas, non modo passionum obliterauit ignominiam, sed etiam ea defunctum extulit supra omnem aliam dignitatem, iuxta illud Phil. 2. *διὰ τῆσο ὑπερέψωσε αὐτὸν ὁ Θεός ὑπὲρ πάντων ὀνομα*, adeo vt qui Mediator, idem futurus esset Patris Vicarius, in cuius manus auctoritas infinita deueniret; etsi secunda tertiaque persona dignitate naturali sunt æquales, consentaneum tamen fuit, vt mediatoris illa maiestas accederet ad eam, quæ ordine præcedit. Altera, quod quandoquidem mundus conditus erat interuentu Filii, quatenus est sapientia, & λόγος Patris æternus, nihil potuit fieri commodius, quam vt instauraretur ab eodem, quatenus est sapientia homo facta, & λόγος incarnatus. Hanc rationem attigit Apostolus initio Epistolæ ad Hebræos, vbi dixit, Filium esse constitutum a Patre omnium heredem, h. e. Dominum, *ὃς ἔστι τὸς αἰῶνας ἐποίησεν*. Illam ibidem obseruauit in istis verbis: *ὃς αὐτὸν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, ὃς ὡς λόγος* quatenus λόγος est, sunt interpretanda. Vt ut sit, quamuis ratio generationis, per quam Filius genitus est ab æterno, nobis incognita sit, nihil prohibet tamen, quominus existimemus, conuenientius fuisse, vt Filius in locum Patris, tanquam Vicarius, succederet, quam Spiritus, qui ab vtroque ita procedit, vt neque Filius sic, neque vero sic vsquam appelletur.

§ XXIV. Postremo, quando tertia Persona habetur pro virtute atque ἐνεργείᾳ cum Patris, tum Filii, ad eam proprie spectabat mentis numeratio, conscientiæ consolatio, affectuum sanctificationis, corporis suscitatio atque glorificatio, ac denique omnium earum rerum executio, quæ ex operatione quadam ἐνεργητικῇ & appulsu atque applicatione summæ efficacitatis ad obiecta proficisci debuerunt.

§ XXV. Ex his ita constitutis iam facile dissolui possunt

quæstiones, quæ nonnullum negotium Theologis facessere solent: Quomodo Filius Patri satisfacere potuit, cum tamen ipse sibi non satisfecerit? Quomodo peccatum in Patrem admissum remitti potest? Quomodo satisfactio Filii valere potest ad expiandum peccatum, quod aduersus Filium ipsum committitur? Ad extremum, cur peccato aduersus Spiritum sanctum perpetrato sit omnis veniæ spes in æternum denegata? Prima scilicet sic explicatur. Diligenter distinguendum est inter proprietates, quæ Deum mundi iudicem naturaliter efficiunt, & functionem illius potestatis, per quam se se reipsa gerit pro rectore ac magistratu totius vniuersi. Quoniam proprietates, quæ Deum mundi iudicem naturaliter efficiunt, sapientia, scilicet, quæ falli nequit, iustitia, quæ nunquam potest corrumpi, & potentia, cui nullum impedimentum opponitur, quod nullo negotio non perumpat, (nam ex istis virtutibus infinita potestas in omnes creaturas enascitur) essentiam diuinam necessario sequuntur, essentia autem diuina tribus personis communis est; consequens & consentaneum est, vt auctoritas iudicandi sit iis pariter naturaliter communis. Verum quia per eam dispensationem, qua diuinæ personæ functiones suas, vt modo declarauimus, inter se dispertitæ sunt, vbi satisfactio præstanda fuit, duæ ab officio iudicandi se se abstinerunt, magistratus & rectoratus illa vis in vna tantum earum hære existimatur. Haud secus ac in eo exemplo duorum imperatorum, quod superius adduximus, tantisper dum alter, suscepta in disitis imperii oras expeditione, abstinet a summo magistratu, eius vis atque potestas redit vniuersa ad alterum, donec dispensatio mutetur.

§. XXVI. Nihil autem in eo esse, quod non apprime cum reâ ratione consentiat, ipse rerum vsus atque experientia nos docet. Supremas in Gallia Curias habemus, in quibus præfidum atque consiliarium iurisdictionis est semper *ἀνεύθυος*, at iurisdictionis functio semestris. Qui igitur semestris suum iurisdictionis tempus agunt, soli iudices sunt, quamdiu durat: reliqui, qui suo semestri spatio defuncti sunt, etsi dignitatem atque characterem iudicis retinent, administrationis iustitiæ expertes sunt, donec

TRIUM PERSONARUM.

23

nec ordinariæ vices eos ad tribunal reducant, vnde fuerant ante de pulsî. Vsque adeo, vt si fingas animo, satisfactionem aliquam tali supræmæ curiæ præstandam esse, dimidia illius pars, quæ abstitit per istam œconomiam a iure dicendo eam alteri præstare poterit, cum tamen ipsa sibi illam præstitisse dici non possit. Atque idem animaduertere est in omnibus aliis rebus, in quibus auctoritas est pluribus ex æquo commissa, functiones vero sunt *οικονομικός* distinctæ. Vt in vna Ecclesia, in qua plures pastores æqualem & indiuisam auctoritatem sortiti sunt, functiones vero per vices distributas, sunt illi sibi inuicem superiores & inferiores vicissim, & dum alter concionatur, alter vero concionantem audit: qui prædicat, habetur pro solo Pastore tum, alter eo respectu, quasi vnus e populò, eorum locum occupat, quorum docendorum gratia sacrum ministerium est institutum. Cuius rei ratio facile reddi potest. Scilicet quemadmodum facultates datæ non sunt, nisi operationum exercendarum ergo; sic munera functionum obeundarum modo causa demandantur. Vt igitur si facultas aliqua se se nusquam exereret in operando, haberetur propemodum pro nulla; sic si muneris functio cessaret, munus ipsum nullo loco censeretur. Vbi igitur functiones, & operationes certis quibusdam interuallis *οικονομικός* cessant & exercentur, patet, vt instituta comparatione inter illa tempora cessationis & exercitii, in altero facultas vel munus vigere, in altero vtrumque propemodum extinctum esse videatur.

§. XXVII. Secunda quæstio est ab omni difficultate soluta. Quando enim peccatum in Patrem illud est, quod committitur aduersus leges naturæ (quæ leges naturæ perfectam pietatem, perfectamque charitatem a creatura postulant,) tantum abest, vt mirum videri debeat, id aboleri satisfactione, vt satisfactio proprie ad eius abolitionem instituta sit. Atque eo respexisse nonnullis videtur Apostolus, cum in Epistola ad Hebræos docuit, Christi sacrificium oblatum esse, vt expiarentur peccata sub Veteri Testamento commissa. Verus enim Testamentum, quatenus fedus est, & fedus naturæ, vt est a nobis aliquoties obseruatum, in eo, quod vtrique præcipue essentiale est, vnum sunt atque idem. Christus autem

autem, cum negauit, eum, qui credit, venturum esse in iudicium, affirmavit contra, iram Dei manere super eum, qui non credit, Ioh. cap. 3. satis clare significauit, peccatum in legem cum naturalem tum Mosaicum admissum, accerere in hominem iram atque maledictionem, quam fides tollit atque euertit, si quis redemptorem amplectatur, at quæ incredulis & satisfactionem respicientibus impendet in æternum.

§. XXVIII. Tertia quæstio potest aliquanto magis ingenium exercere. Nam si satisfactio proprie in eum finem instituta fuit, vt reatum peccatorum aduersus legem Mosaicam & naturalem perpetratorum expiaret, non videtur explere posse peccatum, quod in incredulitate consistit, quodque ambitu duarum istarum legum non comprehenditur. Si vero incredulitatem expiare valet, quandoquidem committitur proprie aduersus Filium, vt a nobis declaratum est; Filius satisfactionem accipere debuisse, & ita sibi metipsum satisfecisse videtur. Quæstio tamen illa sic dissolvi potest: Nam ad priorem dilemmatis partem quod attinet, etsi satisfactio proprie & præcipue ad expianda peccata, quæ contra legem Mosaicam & naturalem committuntur, destinata est, destinatio tamen illa non excludit peccatum commissum aduersus fedus gratiæ. Atque hic obseruare est, quanta sapientia Deus hæc omnia dispensauerit. Nam sane reuertamur ad superius exemplum. Ponamus vna in eodem regno patrem & Filium sedere ad clauum Imperii. Tum fingamus rebellionem omnium subditorum facta, patrem mittere filium, vt quæcunque possunt eos ad meliorem mentem reducere procuret. Denique, quia res melius confici non potest, soluto aliquo grandi & memorabili pretio, spondeat illis omnibus remissionem antea actæ rebellionis, ea lege primum, vt filium auctorem suæ salutis agnoscant cum errati poenitentia, deinde vt poenitentia suæ dent aliquam significationem intra tempus, non breuè illud quidem, sed tamen certum atque determinatum. Certe dubitabile non est, quin distingui possit atque adeo debeat, inter rebellionem, cuius causa edictum remissionis proposuitur atque promulgatum est, & pertinaciam, qua nonnulli veniam illam spernunt & in rebellionem obdurantur. Aliud enim



Enim est sane peccatum positum in detractatione officii, quod veteres imperii leges exigunt, aliud vero peccatum in eo constitutum, quod noua ista lex spernitur, quæ iubet, vt tu filium agnoscas auctorem veniæ & salutis oblata; attamen quia certum quoddam tempus definitum est, intra cuius spatium poenitentia nimis fera esse non potest, venia censetur oblata, non respectu peccati prioris generis duntaxat, sed etiam respectu peccati posterioris, vsque dum tempus poenitentia præfixum sit penitus elapsum. Quod si venia nititur eo pretio, quod a filio solutum est, solutum illud esse censebitur, non solum pro rebellione antecedanea, sed etiam pro veniæ contemptu, tametsi in eius solutione rebellio sit præcipue spectata. Est autem in eo dispensationis salutis nostræ non leuis adumbratio, sed imago accurate expressa.

§. XXIX. Ad alteram partem dilemmatis accedamus, & persistamus in exemplo proposito. Sit ergo tempus illud, quod diximus poenitentia deputatum, ad anni spatium determinatum, vt intra illud omnes ad veniam admitti queant; vltterius via fit ad remissionem obtinendam interclusa. Tum ineunte illo anno filius satisfactione necessaria defungatur; quo facto statim & intra secundum anni præstituti mensem euehatur a patre, remunerationis ergo, in eam dignitatem atque auctoritatem, quæ se antea vltro abdicauerat, vt totum istud reductionis subditorum negotium perficiat, resipiscentes restituat in integrum, proteruos atque pertinaces anno exacto conuenientibus supplicis addicet, nihil denique earum rerum prætermittat, quæ ad plenam edicti executionem pertinent; vtri, patri an filio, satisfactionem præstitam esse arbitramur? Certe patri, præstitam esse constat, filio haudquaquam. Ea enim filius defunctus est, cum pater pro tribunali summi magistratus sedebat, ipse vero ex eo ex communi consilio descenderat. Tum enim Patris erat, non modo satisfactionem accipere, sed etiam legem ferre, cuius vi satisfactio vtriusque generis peccata expiare valeret.

§. XXX. Atque ea res iterum dispensationis salutis nostræ refert imaginem. Non enim contentus fuit Deus Opt. Max.

D

satis:

satisfactione Christi placatus, offerre peccatorum aduersus legem naturalem & Mosaicam admissorum impunitatem; addidit præterea, singulis hominibus suæ vitæ tempus, vniuerso generi humano mundi durationem, & omnium sæculorum curriculum, clementer esse conditum, intra cuius spatium ad fidem & poenitentiam conuerti liceret. Atque hoc ita constituto, voluit Filium sedere ad dextram Maiestatis suæ in cœlo, vt ex isto sublimi gloriæ solio Ecclesiam in terris militantem gubernaret, hostium suorum conatus inconspicua quidem illa, sed tamen inuisa, virtute frangeret, ac tandem fideles in possessionem salutis introduceret, incredulos vero detruderet ad cruciatus sempiternos. Satisfactio igitur Patri præstita fuit, quia tum summi magistratus munere fungebatur, licet peccatum posterius generis in Filii personam proprie admissum esset: at executio rerum, quæ sequi debuerunt, Filio demandata est, quocumque tandem modo, & quamcumque in personam, seu Patris seu Filii, peccata designentur.

§. XXXI. Ad quartæ quæstionis explicationem sic aggredimur. Promissio remissionis peccatorum, quæ in Euangelio nobis offertur, vniuersalis est, addita ea lege, vt credat in redemptorem, & a peccato respiciat, quicumque compos eius fuerit. Neque externa prædicatio promissionem istam vlla exceptione limitauit. Quamobrem si ponamus, quod contingere nequit, attamen, inquam, si veritatis indagandæ causa ponamus, hominem, qui vere peccauit in Spiritum sanctum, a peccato suo respicuisse, aut propositio & prædicatio illa vniuersalis, *Is, quem peccati sui poenitebit, remissionem consequetur*, vera non erit, aut, si vera erit, iste homo, quantumuis in Spiritum Sanctum peccauerit, particeps erit æternæ salutis. Sedet autem quidem certe in animo meo ista sententia, propositionem istam Euangelicam, vniuersaliter acceptam & enunciatam, esse veram. Quod igitur peccatum in Spiritum Sanctum remitti nequit, id non inde proficiscitur, quod vel satisfactio Christi, vel nouum aliquod aliud Dei veluti *μυχάνημα* eius reatum non possit abolere, dummodo eum, qui ita peccauit, peccati sui poeniteat, sed eo, quod plane

plane impossibile est, eum poenitere. Iam autem impotentia illa respiscendi, vel quatenus ad Deum, vel quatenus ad hominem refertur, considerari potest. Et posteriore quidem hoc modo considerata, nihil ad institutum nostrum attinet. Est enim ex æquo in omnibus hominibus, tam qui peccarunt aduersus Patrem, quam qui peccarunt aduersus Filium, si Deus eos suæ permittat natiuæ corruptioni. Est igitur ita interpretanda, vt statuamus, impossibile esse, vt illis Deus poenitentiam indulgeat. Neque sane de nihilo est, quod Apostolus scribens ad Hebræos, ait, *ἀδύνατον αὐτοῦ ἀνακαλιξέν τις ἡμετέρας*, non autem *ἀδύνατον αὐτοῦ ἀνακαλιξέσθαι*, quasi diceret, impossibile esse, vt quisquam, ac ne Deus quidem ipse, eos renouet, non modo impossibile esse, vt ipsi se se renouent, aut vt ope humana renouentur. Impossibilitas autem illa certe, respectu Dei, absoluta non est, vt loqui solent; non enim implicat contradictionem, vt instaurantur: sed nititur hypothèsi, quia tamen Deos eos instaurare posset, si vellet, prohibente tamen aliquo decreto, non potest omnino contingere, vt id velit. Rursus impossibilitas ista ex hypothèsi, vel in eo consistit, quod cum Deus versaretur in electione & reprobatione hominum, tales homines cum aliis præterire decreuit, ne illis fidem indulgeret, quam electis indulgere statuit; vel pendet ex aliquo alio decreto, ab isto haud parum discrepante. Prius autem locum habere non potest. Etenim id si locum haberet, nihil quicquam haberent, qui peccarunt in Spiritum Sanctum, quo differrent a reliquis reprobis, nec quidquam de his diceret Apostolus, quod non pariter de illis diceretur: Scilicet quia Deus eos non illuminare ex omni æternitate decreuit, ipsi autem per se lucem veritatis Euangélicæ adspicere non possunt, omnino contingere nequit, vt Euangelium per fidem amplectentur. Iam autem manifestum est, Apostolum voluisse dicere aliquid amplius. Nam reliqui reprobi nullam vim Spiritus vnquam senserunt, hi ab Apostolo primum esse illuminati, deinde postmodum excidere dicuntur. Reliqui reprobi rejiciunt quidem Christum,

at incognitum, quia nulla lux intrinseca eorum mentibus afful-  
sit; hi vero Christum iam aliquatenus cognitum & ex parte ali-  
qua in intellectum, atque adeo etiam in affectus, admissum, re-  
jectant & aspernantur. Est igitur decretum aliquod ad eos per-  
tinens, ac eo præcipue a decreto reprobationis discrepans, quod  
si reliquos reprobos cum electis conferas, cur hos illis in distri-  
butione gratiæ suæ Deus antetulit, nulla ratio reddi potest,  
præter vnum idque liberrimum ipsius beneplacitum. Si autem  
eos, qui peccarunt in Spiritum Sanctum, & qua tales sunt, spe-  
ctes, eosque compares non modo cum electis, sed etiam cum  
reliquis, causâ quædam fuit, cur Deus esset aduersus eos ita  
præfractus atque seuerus. Atque eam causam Apostolus expli-  
cat ad Heb. cap. 6. v. 6. & ad Hebr. 10. v. 19. Sic cum reliquo-  
rum respectu reprobatio nulla vel incredulitatis, vel defectionis, a  
Christo præuisione nitatur, (deficere enim a Christo nequeunt,  
qui nunquam in Christum crediderunt; neque quisquam ideo  
proprie reprobatus est, quia præuidebatur non esse crediturus,  
cum potius ideo præuisus sit non esse crediturus, quia Deus e-  
um reprobaui) decretum, quod hosce singulariter spectat, est  
in defectionis & rebellionis aduersus Christum iam efficacitate  
Spiritus aliquatenus cognitum, præscientiæ præuisioneque fun-  
datum.

§ XXXII. Hic autem duo scrupuli animum sollicitare pos-  
sunt. Vnus, quid causæ fuerit, cur Deus hocce decretum con-  
diderit, quo sibi met ipsi videretur interdixisse; ne talibus vnquam  
poenitentiam indulgeret. Alter si sacrificium Christi, vt est a  
nobis iam positum, vi pollet expiandi etiam peccatum illud, si  
peccatores ab eo resipiscerent, cur Paulus sic locutus sit, ἀνα-  
σταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ παραδειγματίζοντας, &  
οὐκ ἐστὶν περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία, quasi peccatum in Spi-  
ritum sanctum ideo esset irremissibile, quia Christi sacrificium  
non est natura sua eius expiationi destinatum, si quis ab eo re-  
sipisceret. Ad priorem autem quæstionem quod spectat, respon-  
dere fortean sufficeret, Deo sic libuisse. Quod si faceremus,  
eum

TRIUM PERSONARUM.

29

eum idcirco nemo nimis seueritatis, aut vel leuiculae iniustitiae, insimularet. Potuit peccato aduersus Patrem commisso omnem veniae spem praecidere, negato redemptore. Potuit peccatum commissum aduersus Filium ab omni spe remissionis pariter repellere, dato redemptore quidem, atque praedicatione promulgato, sed ea lege, eoque omine, ut si quis eum semel repudiaret, cum primum offerretur, ad eum poenitentia regredi nunquam liceret. Quidni ergo apud se statuere potuit eos nunquam renouare, qui Christum non oblatum semel duntaxat, sed inculcatum, neque inculcatum modo, sed quadantenus etiam in mentem insinuatum, quod fieri non potuit citra vim aliquam Spiritus Sancti, tam superbe tamque contemptim repudiarent? Verum, est aliquid amplius. Si spectes hominem, tanquam reum peccati commissi aduersus Patrem, misericordiae Dei conuenit, ut illi impunitas offeratur, modo credat. Si spectes eum, tanquam reum peccati admissi in Filium, non abhorret a sapientia Dei, quin illi denuo offeratur, atque adeo ea virtute committatur, quae mentem permouet, & trahit in obsequium; quia quod Filium primum rejecit, id fecit per ignorantiam. Certe Paulus eam statuit esse causam vocationis suae, *sine qua non: ἡλεῖσθην*, inquit, *ὄτι ἀγνοῶν ἐποίησα ἐν ἀπιστίᾳ*. 1. Tim. I, 13. At si eum spectes, tanquam reum peccati in Spiritum sanctum, tum videtur cum sapientia Dei vehementissime pugnare, ut eorum misereatur, qui tantam suam misericordiam, tam admirabilem redemptionis gratiam, non incognitam illam, vsque adeo magna proteruita superbiaque spreuerunt. In remissione peccati, quo Patris maiestas violata est, conspicuus est primus misericordiae gradus memorabilis sane, ut qui peccati omni poena digni veniam propter Christum offerat, si eum amplectaris. Iuxta illud, *Deus mundum tantopere dilexit* &c. In remissione peccati quod Filium offendit, alter gradus misericordiae, isque tanto illustrior, eluceat, quanto summa atque incredibilis ἀχαριστία omniae aliud genus peccatorum exuperat, ut qui gratiam tantam iam contemptam, iam pro nihilo habitam, offerre non desistit,

modo eum respuere non perseveres. At in eorum efficaci vocatione qui aliquandiu resistenterunt (quis autem vocanti non resistit?) videtur esse extremus veluti misericordiae conatus, vt qui non modo Christum offert, in quem credas, non modo oblatum atque semel reiectum inculcat, & intentat identidem, quem aliquando tandem agnoscas, sed etiam resistentem te peruincit, renitentemque pertrahit in redemptoris amplexus. Ab ea gratia siquis excidit, non iam amplius misericordia foret, si restaret aliqua spes impunitatis, non lenitas, non indulgentia, sed, vt ita loquar, *εισαδησία* quaedam, a maiestate summi rerum omnium rectoris, atque adeo a recta ratione vehementer abhorrens.


§. XXXIII. Ad alteram questionem quod attinet, meminisse nos decet oeconomicae, quam supra diximus inter Personas Numinis intercedere, & quae earum cuique suam manifestationem suamque respectum ad varios hominis status assignat. Sunt igitur hic ii, de quibus agitur, considerandi tanquam creaturae rationales, quibus se se Pater reuelavit in iis legibus, quae statui naturae conueniunt. Atque id frustra: Eas enim insuper habuerunt. Tum vt creaturae rationales quidem, & peccato contaminatae, quibus se se Filius cognoscendum exhibuit in ea praedicatione, in qua illis obtulit malefactorum impunitatem. Frustra iterum. Eum enim obstinatione pertinaciaque sua rejiciunt. Postremo, vt creaturae rationales, & peccato imbutae quidem, sed quibus Spiritus Sanctus se se praebuit aliquo modo persensendum, vt qui eorum mentes illuminauerit cognitione praestantiae tanti redemptoris. Frustra itidem denique: quia agnitum respuunt, & nonnihil gustatum abijciunt, tanquam rem inutilem, ac pene pedibus proterendam.

§. XXXIV. Si igitur execrandi illi homines ad poenitentiam reuocari possent, id omnino ex duorum istorum alterutro penderet. Vel enim adhibenda foret quarta quaedam operatio, quae extra analogiam admirandae illius oeconomicae euagaretur, eiusque veluti lineas transiliret, proportionisque partium operis

ris redemptionis corrumperet; vel reperienda foret œconomia altera, in qua tres istæ personæ diuersas suas operationes de nouo inter se partirentur, adeo vt Filius ex integro prouinciam susciperet expiandorum istiusmodi peccatorum. Id igitur Apostolus dicit fore necessarium, si Deo peccatum in Spiritum Sanctum condonare liberet. At id pariter dicit, nullatenus esse sperandum. Quocirca eorum renouatio prorsus est impossibilis. Scilicet eo genere sceleris, & sunt omnes misericordiæ diuinæ veluti gradus exhausti, & omnes trium personarum œconomix partes, quatenus ad hominem salutem comparatæ sunt, irritæ factæ. Atque id causæ procul dubio fuit, cur Ioannes negarit pro istiusmodi peccato esse precandum. Quamdiu enim ad Dei misericordiam patet aliquis aditus, orandum est pro omnibus hominibus, ex Pauli præcepto, & Ecclesiæ consuetudine. Postquam omnis via ad misericordiam interclusa est, siue per mortem, siue per peccatum in Spiritum Sanctum, sententia decretoria semel lata, est ab omni salutis istorum hæminum procuratore reuerenter abstinendum.


## ERRATA.

In plagula B. præter omnia *commata*, sequentia corrigenda sunt: pag. 10.  
 lin. 7. lege *conspiciendam*. p. 11. l. 4. lege *iuuens* l. 13. lege *longissimus*  
 l. 21. lege *pronunciato*. p. 12. l. 21. lege *xius*. p. 13. lin.  
 ult. lege *decreverat*. p. 14. l. 14. deleatur *colon*. p. 15. l. 24.  
 lege *Christum esse*. p. 16. l. 23. lege *præcis*.











gg A 6916

ULB Halle 3  
002 824 787




Sb.

10

VD 17







MOSIS AMYRALDI,  
OLIM THEOLOGI SALMURIENSIS CELEBERRIMI,

DISSERTATIO

DE

OECONOMIA  
TRIUM PERSONA-  
RUM IN OPERIBUS  
DIVINIS:



QVAM,  
IN PARAGRAPHS DISTINCTAM,  
SYNOPSISQUE INSTRUCTAM, DENUO,  
OB PRÆSTANTIAM SUAM,  
PRELO SUBJECIT

JOACHIMUS Lange/  
S. THEOL. IN ACAD. FRID.  
PROF. PUBL.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Litteris & impensis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.  
M DCC XV.